

**www.e-rara.ch**

**Catecheses extemporaneae in quinque capita doctrinae christianae**

**Geiger, Mauritius**

**Typis Monasterij S. Galli, 1722**

**Stiftsbibliothek St. Gallen**

Shelf Mark: SGST 13160

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102646>

Catechesis IX. De octavo praecepto.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



## CATECHESIS IX.

## De octavo Præcepto.

Non falsum testimonium dices.

## SUMMA QUÆSTIONUM.

1. Quid hoc vetatur præcepto?
2. Quinam ergò hîc peccant?
3. Qualia sunt peccata?
4. Qui præterea & secundò hîc delinquant?
5. Qui tertio delinquant?
6. An sufficit confiteri peccata detractionis?
7. Quinam hîc quarto delinquant?
8. Quinam quinto & sexto delinquant?
9. Quinam septimò?

## MISCELLANEA.

Licetne acceptare munera iudici?

An crimen proximi licet divulgare etiam alio in loco?

An crimen oblitteratum denuò obijcere?

Si quis audita tantùm referat?

Quid agendum, si solus videam delinquentem?

Quid sentiendum de audientibus detractionem?

An detrahenti licet quoque detrahere?

Quæstio Prima: Quid hoc vetatur præcepto?

Q. I.  
Quid vetatur hoc præcepto?

R. Fal-

M 2

ATE.

*R.* Falsum testimonium de proximo sive in iudicio, sive extra iudicium. Item suspicio, Iudicium temerarium, detractio, contumelia, mendacium, & quidquid lædere potest honorem & famam proximi.

Finis ergo hujus præcepti est, ut Deus confuleret honori & famæ proximi, eamque indemnem conservaret, non minùs, quàm bona corporis per quintum, & bona fortunæ per septimum præceptum. Imò multò magis tanquam rem altioris ordinis, & præcipuum in hac vita hominis bonum. Homo namque sine bono nomine est arbor sine folijs, luna sine lumine, flos aridus sine odore, vinum evaporatum sine sapore, &c. vide *inf. in exhort.* Unde prohibetur hoc præcepto, quidquid honoris ac famæ læsivum est, præcipitur verò veracitas in dictis & factis, & defensio honoris proximi ex charitate & justitia.

**Q. II.**  
Qui hic  
peccant?

Quæstio Secunda: *Quinam ergo hic peccant?*

*R.* I. Peccant, qui falsa asserunt de proximo, sive in iudicio coràm Magistratu, sive extra iudicium.

Qui, inquam, scienter volenter asserunt, quod sciunt non esse factum, aut negant, quod sciunt factum in præjudicium. aut damnum illius, quod plurimi patrare non exhorrent inducti cupiditate vindicæ



etæ aut munerum, &c. cujus modi falsi testes fuere Judæi contra Christum. *Matth.* 16. v. 60. iidem contra S. Stephanum. *Act.* 6. v. 13. & duo senes contra Susannam. *Dan.* 13. v. 10.

*Item qui veritatem dissimulant, aut tacent, cum deberent veritatis dare testimonium.*

Eadem videlicet agitati passione vindictæ aut affectu munerum, de quibus *Isid. in sent.* Unum penè crimen habent, qui falsitatem promittunt, & qui supprimunt veritatem; alioquin testis à legitimo Judice vocatus, si non ferat testimonium, triplicem facit injuriam. 1. Judici juridicè interrogandi jus habenti. 2. Reipublicæ, cui plurimum expedit, ut crimina puniendæ per testes legitimè probentur, 3. Parti litiganti, pro qua testimonium ferre deberet. *Theol. Sanct. Gall. to. 6. tr. 4. q. 2. d. 2.*

Advocati, quando in gratiam suæ partis falsa allegant instrumenta, aliisque dolis & fraudibus partem adversam circumveniunt.

Judices, quando scienter injustum ferunt sententiam, quod itidem ex vehementi aliqua passione aut spe munerum crebrius fieri solet, munera enim obcæcant oculos sapientum, & immutant verba justorum, auro venalia jura, unde non rarò fit, ut post accepta munera strenuè



defendant, quod prius accusare solebant, &c.

Licetne  
Judicibus  
acceptare  
munera?

Annon licet quandoque Judicibus acceptare munera?

R. Non licet præviè, sed postea in solam remunerationem laborum, & absque periculo læsionis justitiæ. Non infrequentia sunt hæc peccata, teste Prophetâ. *Is. 1. v. 23. Omnes diligunt munera.*

Q. III.  
Qualia  
sunt pec-  
cata?

Quæstio Tertia: *Qualia sunt hæc peccata?*

R. *In re gravi sunt lethalia, tenenturque omnes ad damni reparationem.*

Qui enim sciens dicit testimonium falsum in judicio, imprimis peccat contra religionem tamquam perjurus; contra veritatem tamquam mendax, contra charitatem & justitiam, quia proximum injustè nititur spoliare famâ, fortunis, vel etiam vitâ; injurius quoque est Judici, quem scit locum Dei obtinere, & tamen decipit, rursus quia eundem exponit periculo, ne æstimeretur scienter falsò judicasse, denique & in ipsam Rempublicam est injurius, dum suâ malitiâ in causa est, ut scelera manean impunita, & noxij foveantur, ut puniatur innocentia, præmierur iniquitas, &c. Hinc vocantur filij Diaboli. *3. Reg. 21. v. 13.* & inter sex, quæ Deus maxime odit, est testis fallax. *Prov. c. 6. v. 19.* Quàm verò graviter à Deo puniatur, patet ex *Job.*

15. v. 34. Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt, & Deut. 19 v. 19. poena talionis statuitur in illos, si invenerint falsum testem dixisse contra fratrem mendacium, reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit, unde memorati duo senes lapidibus obruti sunt: vide etiam historiam de Lamberto *inf. in hist.* Denique falsus testis tenetur statim mendacium retractare, & nisi fecerit, ad restitutionem omnis damni obligabitur. Adde quod si quis per falsum testimonium alterum in periculum mortis coniecisset, teneretur periculum illud iniquè paratum avertere etiam cum pari damno suo, intellige si spes sit revocationem profuturam. *March. in resolut. c. 8. & Th. Sanct. Gall. cit.* Et hoc verum est in omni restitutione sive pecuniæ, sive famæ, aut honoris.

Nec minùs graviter delinquant Advocati, & Judices: quanta enim malitia innocentem & sceleris purum fraudibus & argumentis fictis accusari, & à Judicè condemnari? adeoque Judicem, qui sit Pater pauperum, Asylum afflictorum, defensor oppressorum, Justitiæ vindex, fieri innocentium flagellum, pauperum prædonem, Justitiæ Divinæ perversorem, &c. Unde cujusmodi Advocatos gregatim in tartarum ruere advertit P. Joannes *inf. in*



hist. Lachrymæ nimirum viduarum, & injustè oppressorum nubes penetrant.

Quæ re-  
media?

Sed quæ hîc remedia?

1.

R. 1. Oportet considerare, quàm severam rationem à ministris suis exigit Deus. Discite Judices finium terræ, quoniam data est vobis à Domino potestas, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium durissimum ijs, qui præsunt. Sap. 6. vers. 6.

2.

2. Considerare difficultatem restitutionis, & corrigendi latam semel injustè sententiam.

3.

3. Frænatas habere passiones, & affectus, maximè amorem munerum, tanquàm radices perversionis Judicii, sub te potius sint affectus tui, torique in eo omnes sint, ut omnes consequantur, quod suum est, in vicem se offert ipse Deus, Deus, Deus tuus, Ego sum. Psal. 49. v. 7.

Q. IV.  
Qui se-  
cundo  
delin-  
quant?

Quæstio Quarta: Quinam præterea & secundo hîc delinquant?

R. 2. Peccant per suspicionem, qui absque sufficienti ratione & indicijs malum aliquod de proximo suspicantur. Item per Judicium temerarium, qui id ipsum assensu indubitato verum judicant, & firmiter credunt.

Distin-



Distinguuntur ergò suspicio & judi-  
cium, quòd illa non quidem firmiter cre-  
dat, inclinēt tamen in unam partem pu-  
tans probabiliter latere aliquod funda-  
mentum opinandi, hoc verò indubitatè  
verum judicat, ita ut rogatus quis, ecquid  
de hac re sentiat? respondeat sibi rem cer-  
tam, aut ferè certam videri, quòd si verò  
dicat, se non esse moraliter certum, sed du-  
bitare, suspicio solum est.

Porro nil usitatius quàm suspicari & Frequen-  
tia sunt  
susp. &  
jud.  
judicare reperies plurimos tam viros,  
quàm mulieres, quorum totus labor est,  
aliorum domos pervagari, mores dijudi-  
care, quì liberos educant, servos tractent,  
quid edant, bibant, & penè quid somni-  
ent. Nec quisquam ab hac syndicatorum  
immunis est, judicantur omnes à coquo  
ad Principem, à pistrino ad curiam, à foro  
ad Chorum, judicantur de omnibus, de in-  
gressu, loquela, victu, amictu, de ipsa prece  
& conversatione cum Deo. Verum ple-  
rùmque temerè & falsò, maxima pars ge-  
neris humani indiscreto judicio ad repre-  
hendendum prompta ac parata esse pro-  
batur. *Aug. ser. 102. de temp.* & docet experi-  
entia quotidiana; videt quis honestam fœ-  
minam cum viro colloquentem, mox ju-  
dicat inhonesta loqui, sed temere & falsò  
judicat, fœmina quippe abs Cive illo tan-  
quàm

quàm viro prudente in re afflicta auxilium perijt.

Perdit Paterfamilias quidpiam de suspellenti domestica, mox servum, aut ancillam abstulisse judicat, sed temerè, cum ab ipsomet Patrefamilias curis obruto in angulum inter scruta projectum & postea ibidem inventum sit.

Occupat filiorum aliquem subita lues, tumor, dolor viscerum, &c. id Materfamilias ex præsentia mulieris vicinæ accidisse judicat, sagam esse; sed temerè, cum ex vitioso cibo, aut motu bilis, aut noxii aëris afflatu id malum evenerit.

Vidit quis proximum tardiùs Ecclesiam ingredientem, acediosum & somnolentum judicat; sed temerè, cum per mediam noctem vigilias apud ægrum duxerit, &c.

Circumfert quis in facie rubentes pustulas, mox porator vini, & helluo judicabitur; sed sæpiùs temerè, cum ruborem illum in nimio hepatis calore excrecere asseruerit Medicus. Vide de S. Cassio *inf. in histor.*

Affligitur proximus infortunio, aut morbo subitaneo, v. g. incendio domus, interitu pecoris, &c. mox ob peccata puniri judicatur. Hem recepit tandem mercedem pro peccatis suis, & me, & alios  
roties



toties & tam immaniter vexabat, ecce vindictam! sed temerè, cùm Deus non ob peccata tantùm, sed etiam ad augmentum meriti, & exemplum patientiæ adversa immittat, uti fecit Jobo, Tobix, & huic proximo, viro justo.

Sic & ipse quandoque virtutes judicantur esse vitia, unde S. Chrys. *in homil. quadam*, studet quis humilitati? dicunt, hypocrita est; si recreationi? gulosus; si justitiæ? impatiens; si simplicitati? fatuus; si maturitati? morosus, phlegmaticus; si jucunditati? dissolutus; si religiosus? singularis; si societati? sæcularis; si vigilijs & orationi? indiscrerus: si zelosus? appetitor laudis; si desistat? negligens; si moribus hominum se accommodet? adulator, &c. omnia ergò temerè & falsò, sicut olim Heli, Pharisæi, &c.

Ratio est, cùm enim quisque judicet, ut affectus est, hinc fit, ut urgente passione aliqua, aut affectu inordinato intellectus fallatur; & consequenter judicet esse in proximo, quæ non sunt, aut non esse, quæ sunt, quemadmodum & circa alias res error iste facillè contingit, v. g. cùm quis noctu ambulans truncum judicat esse equum, aut statuam fontis, judicat armatum militem, &c. Sic etiam aspiciens per vitrum nigrum, liliuna putat esse nigrum, aspici-

aspiciens baculum aquæ immisſum , judicat curvum , aut omninò fractum , cum reverà rectus ſit , &c. Sed,

Quale  
peccatum  
ſuſpicio ?

Quale peccatum eſt ſuſpicio ?

Ꝛ. Plerùmque eſt ſolum veniale , quia manet in mente ſuſpicientis aliquo modo bona exiſtimatio proximi , adeoque illi non ſit gravis injuria , maximè ſi ex errore intellectûs , non ex animo malo aut contemptu procedat , talis enim cum non ſit abſolutè voluntarius & pertinax , meretur excuſationem ; ſecùs , ſi quis ex malevolentia in re gravi contumaciter in ſuſpitione perſiſtat , tunc mortale eſſe docet Leſſius , verùm eo caſu vix diſtingui videtur à Judicio temerario.

Quale  
peccatum  
&c.

Quale eſt peccatum Judicium temerarium ?

Ꝛ. In re gravi , eſt mortale , Judicium inquam verè temerarium , id eſt , abſque ſufficientibus ſignis , & cum plena advertentia conceptum.

Unde excuſat à mortali , ſi res magnam habebat probabilitatem , licèt non omninò ſufficientem ad certitudinem , quia magna probabilitas , & moralis certitudo non adeò diſtant , ita ut judicare eſſe certum , quòd eſt valdè probabile , non confeſatur gravis injuria , v. g. deprehendens Juvenem ſolum veſperi cum puella in cubili,



bili, non adeò temerè judicatur illicita tractasse, maximè perspecta qualitate personæ.

Excusat etiam, si malum adeò uon fit grave, vel non censetur tale, hinc à Lessio excusatur à mortali, qui judicat alium esse spurium. *Busenbaum. tr. 6. c. 6. de præcept. V.*

Rursus si consensus non sit absolutus in illud judicium, multos enim contingit temerarijs judicijs tentari & inquietari, non tamen consentire.

Item si de indeterminato tantum judices; quia nulli fit gravis injuria, aliàs ut dixi est mortale contra charitatem & justiciam, ratio; quia cum quilibet habeat jus ad bonum nomen suum & famam, per temerarium judicium spoliatur eum hoc jure, dum falsò aut sine justa causa illum pro impio habes, & sicut proximo injuriosus es per detractionem ejus famæ detrahendo apud alios, ita etiam apud te temerè judicando, non enim minùs cupit æstimari à te, quàm ab alijs.

Augerur malitia hujus peccati, quòd fit specialis injuria in Deum, dum temerè judicantes jus illius speciale & jurisdictionem invadunt, judicando interiora hominis, quod sibi soli reservavit Deus, solusque decrevit esse scrutator cordium. *Apoc. 2. vers. 23.*

Quàm

Quàm verò graviter à Deo puniantur temerè judicantes, patet ex historijs v. g. de S. Vitalio, de S. Cassio, *inf. in hist.* Hoc evidens est, quòd qui judicat alios, & ipse passim ab alijs judicerur: observabis quoque sanctos quosdam in sola illa incidisse peccata, quæ in alijs temerè judicarunt. Denique ex suspitione & judicio temerario facile oriuntur odia, detractiones, homicidia, &c. exemplum sit S. Idda, *inf. in hist.*

Quæ remedia?

Quænam remedia?

1.

R. 1. Sua discutere, nec curare aliena, qui suas sordes apertas non agnoscit, qui judicabit rectè de alienis occultis? ille judicet de alterius errore, qui non habet, quod emendet in se. S. Ambr. *in. ps. 110.*

2.

2. Non facile credere, sed omnia proximi opera in melius interpretari, eò quòd aliàs facile deceptioni sit locus, vide *inf. in hist.*

3.

3. Tollere causas, id est, corrigere passiones & affectus inordinatos, quamdiu enim ira, v. g. odium, superbia, invidia mentem occupant, judicia æqua formari non possunt.

Q. V.  
Qui tertio delinquant?

Quæstio Quinta: Qui tertio hinc delinquant?

R. 3. Peccant detractores qui malum quodcunque occultum sive verum, sive falsum de proximo manifestant, v. g. furtum, perjurium, fornicationem, &c.

Item



*Item qui proximorum tam viorum , quàm mulierum vitam & mores scabiosè traducunt , vitia nimium exaggerant, bona verò & talenta annihilant.*

V. g. Quis credidisset virum illum primarium tantæ bilis , tam inveterati esse odij ? &c. Putabam ego doctorem illum , longè sublimioris esse judicij , &c. Credebam ab hoc solo negotium expeditum , sed habuit directorem , &c. Non est Domina illa tam proba , ut putatur , &c.

*Item qui ita de vita & moribus Sacerdotum , Concionatorum , Confessariorum , Religiosorum , Superiorum sinistrè loquuntur.*

V. g. Sacerdotes esse ebriosos , suspectis locis assuetos , Religiosos esse avaros , disciplinæ negligentes , Concionatores esse ignorantes , passionatos , Confessarios esse simplices , curiosos , superiores esse partiales , amatores munerum , &c. Sic etiam servi & ancillæ ex culpa propria dimissi solent detrahare heris , quòd sint avari , acerbì , apud quos nemo perdurare possit.

*Item qui mortuis eadem faciunt.*

*Item qui libellis famosis , alijsve scriptis auscantilenis aliorum vitam lacerant , vel qui ejusmodi scripta invenientes divulgant.*

*Item qui secretum sibi commissum revelant.*

V. g. Quando Senatores uxoribus refe-

runt

runt, qualiter quidam occultè sint examinati, puniti, &c.

*Denique qui detrahentibus aures præbent, libenterque audiunt.*

Cæterum sicut suspicio, & iudicium temerarium ita & detractio est frequentissima, quia hæc ex illis plerumque oritur, ut quod concipitur malum animo, id ore mox effutiat, quo fit, ut, quocumque te verteris in colloquijs privatis & publicis in plateis, tabernis, in ipsis etiam Ecclesijs audias detrahentes, vel enim vicinus profcindet vicinum, aut sæculares Sacerdotem, aut subditi superiores, aut ancillæ dominam, aut alij alios, unde Ps. 68. v. 13. In me psallebant, qui bibebant vinum. Firma fuit mens S. Vincentij, Ferrerij, inter reprobos perire pleròsque vitio carnis, aut detractiois: eadem quoque sententia Ludovici Granat. *Dom. 3. quoad. Serm. 3*

Qualia  
sunt peccata?

Qualia sunt hæc peccata

R. Sunt mortalia, si tria concurrant. 1. Si crimen sit grave. 2. Si sit occultum, nec notorium. 2. Si animo injuriandi seu detrahendi fiat.

Excusat proin primò parvitas materiæ, & levitas damni, hinc revelare defectus proximi naturales corporis aut animi, v. g. esse stupidum, spurium, luscum, &c. regulariter non esse mortale docet Busenbaum.



*hic d. 2.* eò quod non sequatur grave damnum, secùs, si de viro gravi, v. g. Consule diceret, esse illegitimè natum, Concionatorem hunc mendacijs assuetum, &c. plerùmque etiam levis censetur detractio proferre nomina generalia peccatorum, v. g. esse iracundum, superbum, &c. quia audientes plerùmque interpretantur de propensione & defectu involuntario, similiter si proferantur peccata, quæ ob conditionem personæ non notabiliter infamant, v. g. militem hunc furari, mercatorem jurare, adolescentem hunc amoribus deditum.

Sed quid si crimen sit verum?

Si crimen  
sit verum?

R. Nihilominus manifestans peccat, quia re ipsa lædit famam proximi, seu potius jus ad famam, licet minus peccet, quàm si crimen non sit verum, quia alter se coniiciendo in periculum infamiæ aliquàlter cessit juri suo.

Excusat secundo, si crimen sit notorium notoreitate juris vel facti, quale censetur, si à Magistratu publicatum fuerit, vel præcipuæ parti alicujus loci innotuerit, vel certè innotescet, ita ut moraliter nulla inficiatione celari possit: his enim casibus auctor amisit jus ad famam, ut sibi injuriam fieri, justè conqueri non possit, adeoque manifestans non peccabit, nisi

N

forte

194 Caput III. De decem præceptis.

fortè id animo vindicandi, aut graviter lædendi agat, tunc enim peccat contra charitatem.

Sed quid si quis crimen alterius tantum aut duobus manifestet, qui rem omnino silebunt?

Respondent multi apud March. in *resolut. v. 8.* Non videri mortale, eo quod leve sit detrimentum in fama; uni enim aut duobus rem dicere perinde esse, ac nemini dicere, absente omni periculo divulgationis. Contrarium asserit *Laym. l. 3. sect. 5. tr. 3. p. 2. c. 2. n. 6.* Quia plerique etiam hanc jacturam magnam æstimant, si de gravi scelere infamentur apud unicum virum gravem; sæpè tamen minuitur culpa, si aperiatur solatij causa, ut mox dicitur.

An licet divulgare crimen, ubi non est manifestatum? An crimen proximi licet divulgare in loco, quò ejus fama nondum pervenit?

R. Si crimen per Judicis sententiam publicatum sit, alijs etiam locis sine injuria evulgari potest. Ratio: quia sicut Magistratus in criminis vindictam reum bonis fortunæ & corporis, ita & famæ spoliare potest. *Laym. cit. n. 10.* Facile tamen peccabitur contra charitatem id agendo ex ira, odio, &c.

Quid, si crimen obliteratum in memoria revocatur?

Quid est, alterius crimen jam obliteratum, & emendatum denuò in memoriam revocare?

R. Si



¶ Si fiat absque causâ necessaria, est injuria cum restituendi obligatione. Ratio, sicut malis moribus infamia facti contrahitur, & bona fama amittitur, ita contrarijs bonis moribus infamia facti aboletur, & fama bona recuperatur. *Ibid.*

Excusat tertio, si non fiat animo injuriandi, v. g. si quis consilij, aut solatij tantum causa alicui amico prudenti narret injuriam sibi ab alio factam, eo quod eam in silentio decoquere, neminique communicare, valde difficile accidat, dummodo non sequatur gravis infamia; hinc excusantur conjuges loquentes de criminibus occultis filiorum aut famulorum.

Item si fiat ex dicacitate seu loquacitate, nec sequatur læsio gravis, quod crebrius accidit, quia non serio accipitur, nec creditur: si verò grave sequatur damnum, erit mortale, licet non intendas detrahere; es enim culpabiliter causa damni.

Item si fiat ad correctionem, v. g. si quis crimen occultum filij aut famuli Patrifamilias in ordine ad correctionem tantum referat, aut superioribus deferat, nisi ex relatione majus damnum sequatur.

Quid si quis audita tantum referat?

¶ Si referat ut audita, hoc est, nihil affirmando de rei veritate, nec pondus addendo verbis, sed suam potius de eo dubi-

Quid, si quis audita referat?

tatio-

tationem significando, nec auditores rationabiliter sint credituri, veniale erit. *Laym. cit. n. 7.*

Repeto igitur, si prædicta tria concurrant, detractio erit mortalis, quia gravis injuria est proximum spoliare optimo, quod habet, quo illi nil charius est, nempe bono famæ, & quidem eò gravior, quo gravius fuerit crimen quod propalatur, & coram quanto pluribus fuerit propalatum, unde hæc circumstantia in Confessione aperienda est.

Porrò peccati hujus malitiam declarat sapiens. *Prov. 30. v. 11.* Dum inter generationes malas pessimam numerat, quæ pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus suis, videlicet proximi famam: comparantur etiam canibus, qui assidue quærent, quod rodant. Item lupis, qui fame agitati etiam tumulos effodiunt; mortuorumque ossa devorant. Hirundinibus, quæ corruptum sanguinem exsugunt; porcis, qui hortum ingredientibus relictis rosas sterquilinum inquirunt; araneis è flore venenum colligentibus: in jure æquiparantur homicidis, *de pœnit. dist. 1.*

Pœnæ detrahentium sunt temporales & æternæ. Hebræi detrahentes terræ promissionis, à bestiis & hostibus omnes paulatim consumpti sunt in deserto. *Num. 13.*

*vers. 33.*



vers. 33. Paulus morte æterna dignos pronuntiat. Rom. 1. v. 32. Imminet quóque illis pœna Talionis, qua detrahenti ab alijs quóque passim detrahitur, vide *inf. in histor.*

Denique ex detractione oriuntur eadem mala & plura, quæ ex judicio temerario, &c.

Quænam sunt remedia?

Quæ sunt remedia?

8. 1. Oportet considerare mala inde orta. 2. Difficultatem restitutionis; quid enim difficilius, quàm hominem spectatum coram alijs revocare, quæ coram alijs mendaciter protulit, fatendo, ego illi injuriam feci? mentitus sum? quàm pauci hoc agunt? ut non immeritò dicat. *Eccles. 28. v. 22.* Plures perire hoc vitio, quàm gladio. 3. Fugere detrahentium consortia exemplo Davidis: Detrahentem proximo suo hunc persequabar. *Psalm. 100. v. 5.* & S. Augustini parieti suprà mensam inscribentis:

1.

2.

3.

*Quisquis amat dictis absentium rodere vitam,  
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.*

4. Tollere origines detractionis, ambitionem, invidiam, &c. Ob hanc enim Absalon detrahebat Patri. 2. *Reg. 15. v. 3.* Satrapa Danieli. *Dan. 6.* Pharisei Christo. *Matth. 9. Luc. 5.*

Quid a-  
gendum,  
si solus  
videam  
delin-  
quentem?

Quid ergo agendum, si solus videam delinquentem, ne detractionis vitium incurram?

R. Si spes sit correctionis, admonendus est juxta monitum Christi. *Matth. 18. v. 15.* Si verò nulla sit spes, & crimen sit alijs nocivum, monere licet illos, quibus imminet periculum, aut deferendum ad superiores, ita tamen, ut quantum fieri potest, parcatur famæ delinquentis, quia illius correctio, non infamia quæritur.

Qualiter  
peccant  
audien-  
tes, &c?

Tandem quid sentiendum de audientibus detractionem, & qualiter peccant?

R. Si quis alterum provocet ad detractionem, aut juvet ad ejus continuationem, pari scelere se obstringunt cum detractore, tenenturque ad restitutionem tantamquam causa damni.

Si quis delectetur formaliter de detractione, ut est jactura alienæ famæ, peccat mortaliter: si verò delectetur per accidens ob narrantis facundiam, ob rei novitatem, veniale erit. *Molina disp. 34. n. 2.*

Si quis tacendo audiat tantum detrahentes, nihilominus peccabit contra charitatem, si non impediat detractionem, si possit, & fructus speretur, maximè si injuria sit atrox, aut proximo grave incommodum immineat, aut si ratio officij jubeat,

ut



ut si superior audiat detrahi à subdito, Pater à filio, &c. Sicut enim non tantum agit, qui proximi ædes succendit, sed is etiam, qui aquam non apportat, si possit; ita, &c.

Modus corrigendi est vultu tristiori, aut alia significatione ostendere, sibi non placere detractionem, aut ad alia divertere sermonem, vel excusare reum, aut denique discedere oportet: Cum detractoribus ne commiscearis. *Prov. 24. v. 21.*

Quæstio Sexta: *An sufficit confiteri peccata detractionis?*

*R. Non sufficit, sed insuper honorem ablatum restituere oportet.*

Ratio, quia quilibet non minus sibi cupit restitui famam, quam pecuniam, imò magis, uti dictum. *Q. 1.* Omnis ergò detractor tenetur ad restitutionem honoris, etiam superiores: omni quoque facienda est restitutio, etiam defunctis; quia quivis post mortem quoque optat famam suam indemnem; quapropter si quempiam læsisti falso crimine imposito, adire illos debes, apud quos detraxisti, dicereque quòd re accuratius inspecta falsum inveneris, addito etiam juramento, si alter credere nolit. *Lessius.* Pater hinc difficultas restitutionis, &c. Sed

An detrahenti licet quòque detrahere?

N 4

*R. Non*

*Q. VI.*

An sufficit confiteri detractiones;

An detrahenti licet, &c.

2. Non licet malum pro malo reddere, facta vero detractione, non teneris restituere fammam, priusquam ille restituat, nisi tu gravius injuriasles.

Q. VII.  
Qui delin-  
quunt  
quarto?

Quæstio Septima: *Quinam præterea & quarto hic delinquant?*

R. 4. Peccant contumeliosi, qui verba injuriosa in proximum præsentem proferunt animo lædendi ejus honorem.

V. g. Qui obijciunt defectum animæ, tu fur, tu adulter, mendax, &c. aut defectum corporis, tu pessime strabo, capito, calve, illegitime, nebulo, &c. aut fortunæ, tu mendice, tu ignobilis rustice, &c. & dicuntur convitia, impropéria, &c.

Item qui primitus affingunt proximo ejusmodi cognomina contumeliosa.

Magna est hæc injuria, quod usque ad mortem subinde adhærere soleant.

Item qui verba quæcunque irrisoria, ironica, animo irrisorio in proximū jaciunt, tu morio, Euclyo, vorator, &c. & dicuntur illusio, subsannatio.

Item qui alteri in faciem impropèrant sua beneficia. V. g. Sine me eras miser, derelictus, mendicares, &c.

Item qui malitiosè a alterius dicta aut facta interpretantur, & dicitur calumnia.

Distinguitur contumelia à detractione, quod hæc fiat absenti, illa præsentī, & in faciem. Jam verò quid contumelijs frequen-



quentius ? in ludis , in computationibus ,  
in contractibus inconsiderate factis , in  
mutuis actionibus coram magistratu ,  
ubi plerumque partes in contumelias  
ruunt , &c. Sed

Qualia sunt peccata ?

*R.* Si fiat deliberatè , & læsio sit gravis , est mortale. Qualia  
sunt pec-  
cata ?

Quia gravissima est injuria , palam irruere , & quasi occidere honorem proximi præsentis , longèque gravius peccatum detractioe , quæ fit instar furti , & contra absentem , hæc instar rapinæ contra præsentem ; quando autem censeatur læsio gravis , metiendum est ex animo obijcientis , & dignitate ejus , cui infertur contumelia , aliisque circumstantiis.

Contumeliæ malitiam Christus insinuavit , *Matth. 5. v. 22.* Qui dixerit fratri suo , fatue : reus erit gehennæ ignis ; & Phariseos calumniatores sæpius repulit , & *Proverb. 17. v. 5.* Qui despicit pauperem , exprobrat factori ejus.

Pœnæ patent ex 2. *Reg. 6. v. 23.* ubi Michol convitiosè alloquens Davidem , sterilitate percussa est , & quadraginta duo pueri illusoriè inclamantes Elisæum , ascende calve , à duobus uris lacerati sunt Pœnæ.  
*4. Reg. 2. v. 24.*

Alia pec-  
cata.

Denique ex contumelijs plurima ori-  
untur mala, perturbatio publicæ & priva-  
tæ pacis, odia, inimicitia, homicidia, &c.  
nil enim magis irritat animos, quam con-  
temptus, irrisio, convitia, ut patet ex mi-  
lite & Duce Narsete *inf. in hist.* & licet vi-  
deantur contumeliæ oblivione deletæ,  
raro tamen id integrè fieri docet experi-  
entia, & testatur Plutarch. *in Moral.* Amici-  
tiæ post mutuas lacerationes famæ, aut  
non coeunt, aut cicatricosè coeunt, quia  
semper vestigium anteaactæ discordiæ ma-  
net.

An suffi-  
cit confi-  
teri con-  
tumelias?

An sufficit confiteri contumelias?

R. Non sufficit, sed oportet restitutionem facere, & contumelijs affectum recon-  
ciliare, juxta *Matth. 5. v. 23.* Si offers munus  
tuum, &c. Vade prius reconciliari, &c.  
Eundem ergo & dicendum, te illi inju-  
riam fecisse, ut ignoscat. Superiores con-  
tumeliam inferentes, licet non teneantur  
petere veniam, tenentur tamen amicè al-  
loqui, &c. & sic restitutionem facere: te-  
netur è contra injuriatus ignoscere etiam  
septuagesies septies, ex jussu & exemplo  
Christi.

Quæ me-  
dia?  
Qualiter  
intelli-  
gendum  
fatue?

Quæ media?

R. Frænare iram, aliasque passiones.  
Qualiter propriè intelligenda est sen-  
tentia Christi: qui dixerit fratri suo, fatue?  
R. Per



8. Per verbum fatue hîc intelligi notabilem aliquam calumniam, si enim accipiat prout modò & passim in usu est, non est peccatum grave, sed tantum veniale, nisi fiat ex formali contemptu, & personæ gravi: imò omninò peccatum nullum est, si fiat animo corrigendi proximum, v. g. si parentes filium ignorantem, Paterfamilias servum vocet fatuum, ut rem rectius agat, &c. Sic S. Paulus Galatas vocavit insensatos, c. 3. v. 1. & Christus Petrum sathan, Matth. 16. v. 23. si enim licet flagellare virgis, ergò & verbis ait S. Thomas, 22. q. 72. 2.

Quæstio Octava. : *Quinam quintò & sextò hîc delinquant?*

8. 5. *Peccant susurrone, qui falsis commentis & relationibus inter amicos amicitiam tollere nituntur, ut ipsi in eorum locum, & amicitiam admittantur.*

Ut sunt, qui de domo in domum transeunt, aliorum dicta & facta referunt, & sæpè leviter dicta exaggerant, mendacijs amplificanc, & quidem sub specie simplicitatis columbinæ quasi compatientes, heus charissime, magni æstimas hunc tuum, ut putas, amicum, sed pro dolor talis non est erga te, quem tu æstimas, coram est amicus, absens inimicus, hæc & hæc contra te dicit, & facit, &c. unde mox

Q. VIII.  
Qui delinquant  
quintò &  
sextò?

gene-

generantur inimicitiae nunquam morituræ , &c.

Qualia  
sunt pec-  
cata ?

Qualia sunt peccata ?

¶ Per se loquendo sunt mortalia, cum tendant ad nocendum proximo ; potest esse veniale propter imperfectionem actûs, si non intendat contrà amicitiam, sed tantum materialiter aliquid dicat provocativum contrà amicum. *March. cit. c. 8.*

Sex sunt , quæ Deus odit , & septimum detestatur anima illius, proferentem mendacium , &c. & eum qui seminat inter fratres discordias. *Prov. 6. v. 19.* Maledictus susurro, *Eccl. 28. v. 15.* Imitantur hi dæmonem, qui primus tentavit seminare discordias inter Angelos, dein inter Cainum & Abelem, inter Abraham & Loth, aliosque justos, inter fideles, hinc tot hæretici, &c. Quare susurrones passim appellantur de familia, & nuncij dæmonis.

Pœnæ.

Pœnas colligere licet ex susurronibus Regis Darij, qui Danieli exitium molientes, ipsi leonibus præda facti sunt. *Dan. 6. v. 24.* & Amano, qui Mardochæo patibulum struens ipse illud ascendit. *Est. 7. v. 10.*

Restitu-  
tio faci-  
enda.

Denique tenentur ad restitutionem damni & reparationem amicitiae, quantum in ipsis est.

Medium est expendere damna, & præcipue



cipue illud ; Quod tibi non vis fieri , alteri ne feceris.

6. *Peccant Adulatores . qui omnia ad mentem alterius loquuntur , aut faciunt , non verò ad veritatem.*

Qui inquam , in gratiam proximi ea laudant , quæ laude digna non sunt , ea vituperant , quæ laude digna sunt , qui bonum dicunt malum , & malum bonum. *If. 5. v. 20.*

Tales plerumque solent esse ministri Principum , qui avarum vocant liberalissimum Dominum , bardum vocant Salomonem , &c. cum eis persuadent licere pro libitu imponere gabellas , movere bella injusta , exposcere vindictam , ipsos rerum dominos esse , &c. Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ. *Pf. 9. v. 24.*

Item superiores , qui subditorum , Patresfamilias , qui domesticorum peccata non corrigunt , sed potius adulando promouent.

Item Concionatores , Confessarij , qui populi , ac Magnatum vitia injustè excusant , & parietem cariosum dealbant , metu potestatis , aliòve respectu , &c.

Qualia sunt peccata ?

R. Juxta damnum , quod ex adulatio-  
ne sequitur : sunt autem maximè peccata  
nociva , quia nutriunt alia peccata , unde  
com-

Qualia  
sunt peccata ?

comparantur aucupi, qui dulce canit, ut capiat, deplumétque avem; item firenibus, quæ incautos ad interitum deducunt. Adulatores Jeroboamum decem Tribubus spoliârunt. 3. Reg. 12. v. 16. Herodem pediculis subjecerunt. Act. 12. v. 22. Pœnas Isaias intentat, c. 5. v. 20. Væ qui dicitis malum bonum, ponentes tenebras lucem, væ, qui justificatis impium pro muneribus, & Prov. 8. v. 13. Os bilingue detestor.

Quæ media?

Media, considerare pericula adulantium, præcipuè attendere ad cordium secretissima scrutantem, & dolos tuos contemplantem Deum, cogitandum etiam excelsi animi esse, semper & cuivis dicere, quod verum est, sicut Elias Achabo, Nathan Davidi, Joannes Herodi &c.

Q. IX.  
Qui delinquent  
septimò  
& octavò?

Quæstio Nona: *Quinam ulterius septimò hic delinquent?*

Res. 7. Peccant mendaces, qui contrà mentem loquuntur.

Idest, qui loquuntur aliquid, contrà id, quod sentiunt in animo.

Est autem mendacium triplex.

Iocosum, cùm quis recreationis causâ mentitur.

Narrando novella falsa & ficta, pro veris & factis, v. g. se quædam in bello vidisse, audisse, fecisse ad concitandum risum, cùm tamen nil minus viderit, fecerit, &c.



ab alio hæc vel illa facta, cum falsa sint omnia.

*Officiosum, cum quis in gratiam alterius ad malum aliquod avertendum mentitur.*

V. g. Ad vitandem suspensionem, rixam, &c. sic solent mentiri famuli, se præceptum executos, ne herus sæviat, sic uxor crapulam mariti mentitur innotuisse Magistratui, ut ad frugem reducat.

*Perniciosum, cum quis in præjudicium & damnum proximi mentitur.*

V. g. Cum quis ab illo dicta aut facta esse spargit, quod tamen nil minus est; habet hoc mendacium præcipuè locum in contractibus.

An omnia sunt peccata?

An omnia sunt peccata?

R. Omnino, etiam mendacium jocosum, & officiosum saltem veniale, est de fide: Noli mentiri omne mendacium. *Eccl. 7.v.14. & Levit. 19.v.11.* Ratio, quia intrinsecè malum est decipere proximum, & facere, ut credat, quod verum non est: violat quoque fidem, quam sibi loquens & audiens invicem dant; vult enim loquens sibi credi, & contrà audiens vult credere, sed si verum dicat: nullo ergò casu mentiri licet, quia nullo casu licet iniquè decipere audientes, tamen per tale mendacium integræ urbes, aut mundus universus

fus conservari posset, uti docet S. Aug.  
*l. de mend. c. 3.*

Qualia  
 sunt pec-  
 cata ?

Qualia sunt peccata ?

Mendacium jocosum, & officiosum sunt venialia; perniciosum potest esse mortale, si notabiliter vergat in nocumentum alterius. Est autem vitium mentiendi diaboli proprium, qui primus mentitus est: Eritis sicut dii. *Gen. 3. v. 5.* Et furibus, aliisque perversis hominibus consuetum. Unde Christus Dominus exprobrans Pharisæis mendacia, ait: Vos ex patre diabolo estis. *Joan. 8. v. 44.* & S. Ambr. *l. 4. in Luc.* Omnes, qui loquuntur mendacium, filij sunt diaboli, non carnis successione, sed criminis: rursus mendaces sunt infames, siquidem nulla eis fides adhiberi solet, licet jurent, superum, hominumque fidem implorent. Gravia quoque mala à mendacijs oriuntur, discordiæ, inimiciæ, de uxore Theodosij, *inf. in hist.*

Denique tenentur ad restitutionem non minus, quàm fur, aut detractor.

Quæ me-  
 dia ?

Media, considerare inutilem laborem mentientium, quo cor suum fatigant, dum suam falsitatem tueri conantur. Item mala inde emergentia: præcipuè à juvenili ætate hoc vitium amputandum est, &c.

RECA-



## R E C A P I T U L A T I O.

**H**Æc de octavo præcepto summa est  
 (1.) Prohibetur hîc falsum testimonium, suspicio, iudicium temerarium, detractio, contumelia, susurratio, adulatio, omnèque mendacium, & deceptio in sermone. (2.) Peccant ergo, 1. qui falsum dicunt, &c. item qui veritatem dissimulant, item Advocati, Judices, &c. quibus non licet acceptare munera. (3.) Sunt peccata gravia, pœnæ, media. (4.) 2. Peccant per suspicionem & iudicium temerarium, qui, &c. & sunt peccata frequentia, gravia, pœnæ, media. (5.) 3. Peccant detractores, sunt peccata frequentia, gravia, excusat tamen si crimen sit parvum, notorium, aut non fiat animo malo, &c. pœnæ, media. (6.) Non sufficit confiteri, sed insuper restituenda fama. (7.) 4. Peccant contumeliosi. (8.) 5. Susurriones, &c. 6. Adulatores, &c. (9.) Mendaces. Mendacium est triplex, jocosum, officiosum, & perniciosum, omnia sunt peccaminosa.

## E X H O R T A T I O.

**D**iscimus hîc charissimi primò considerare scopum hujus præcepti, qui est <sup>i. considerare</sup> intuitio honoris, & famæ proximi, grandi scopum. <sup>scopum.</sup> utique beneficio nostro; est enim honor,  
 O maxi-

maximum in hac vita bonum, quia est bonum intelligibile, longè excellentius & delectabilius, quàm bona corporis, unde multi maximis abstinent corporis voluptatibus, ne honorem perdant. Unde *Eccl. 41. v. 15.* Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi, & magni. Et Poëta.

*Omnia si perdas, famam servare memento,  
Quâ semel amissâ, postea nullus eris.*

2. Quam  
commu-  
nia, noci-  
va, &c.

Discimus secundò singulas considerare transgressiones, quàm eæ communes sunt, quàm malæ, & quàm perniciosæ, nempe falsum testimonium, suspicio, judicium temerarium, &c.

Discimus tertio considerare media, &c.

#### HÆRETICI

Priscillianistæ.

PRiscillianistæ docebant licitum esse perjurium necessitatis, aut alicujus boni causâ, unde illorum versus erat:

*Jura, perjura, secretum prodere noli.*

Sed refutantur à S. Aug. *l. de hæres. c. 7.* & passim in scriptura.

Origenes. Origenes quoque docuit licitum esse mendacium in necessitate.

Idem docuerat & Cassianus, licere mentiri humilitatis causâ, ut quis virtutes suas mendacio contegat. *Alfons de Castro. l. 10. advers. hæres. v. mendacium.*

Sed



Sed refutantur. *Pf. 5. v. 7.* Perdes omnes, qui loquuntur mendacium, & *sup. q. 6.*

*Obijc.* Etiam sancti subinde sunt mentiti, uti Jacob, quando dixit se esse Esau. *Obijc.*  
*Gen. 27. v. 15.*

*R.* Non negatur quibusdam sanctis adhæsisse maculas quasdam peccatorum, certè quando Petrus Christum negavit, omninò mentitus fuit; plures tamen mori maluerunt, quàm mentiri, imò plerique Martyrum potuissent vitam tormentis & morri subducere, si mentiri voluissent. *Vide S. Hier. epist. 45.*

Insuper æquè certum est, non omnes, qui videbantur mentiri, re ipsâ mentitos esse, sed obîcuris usos verbis ad declaranda quædam mysteria. Unde Jacob dicendo se Esau, mentitus non est, quia loquebatur in persona Esau, quem ipse representabat. *Aug. l. 16. de Civ. c. 34.* Aut quia Jacob vestiens se alienis pilis, & sustinens alienam personam figuravit illum, qui non sua, sed aliena peccata in se sumpsit. *Idem l. cont. mend. c. 10.*

# HISTORIÆ.

Lambertus Monachus testis falsus contra S. Ochmarum Abbatem suum de stupro fœminæ illato, mox contractis membris, vultu in terram flexo, quadrupedis instar, omni tempore se in sanctum

Falsus testis Lambertus.

Dei peccavisse fatebatur. *Sur. 16. Nov. in  
vita & Brev. cit. die.*

Iniqui  
Judices.

De ore iniquorum Judicum flammas  
erumpere vidit B. Nicolaus Eremita in  
Helvetia. *Brev. 22. Martij, ex vita.*

Injusti  
Advoca-  
ti.

P. Joannes primus Generalis post S.  
Franciscum in sæculo Doctor Juris, & Ju-  
dex Castelloniæ Provinciæ Romanæ exi-  
stens, cum vice quadam aspiceret Porca-  
rium non sine labore adigere porcos in  
suile, sociusque porcarii diceret, si vis, ut  
citiùs intrent, clama, porci porci intrate  
stabulum vestrum, sicuti Judices & Pro-  
curatores descendunt in infernum, quo  
dicto sues cætatim stabulum ingrediun-  
tur; quod videns Doctor metu Justitiæ  
Divinæ unà cum filio ordinem Minorum  
suscepit, vitamque tam religiosam egit,  
ut factus Generalis universa ordinis loca  
nudis pedibus circumierit. *Chron. Min. to.  
2. l. 10. c. 15.*

Suspicio  
mala Co-  
mitis.

S. Idda Comitissa Doggenburgica in  
Helvetia à Marito ob adulterij suspicio-  
nem de prærupta arce præcipitata fuit,  
causam suspicioni dederat annulus, quem  
corvus de fenestra in nidum suum aspor-  
taverat, quidam verò venator, ibidem in-  
ventum, digitóque insertum palam cir-  
cumferebat, qui propter dictam suspicio-  
nem caudæ equi alligatus immani cæde  
Al. ha



sublatus fuit; at sancta miraculose incolu-  
mis in interiora silvæ se abdens multis an-  
nis sanctissimè vixit. *Vide lib. editum à Reve-  
rendissimo D. Abb. Fisching. anno 1670.*

Venit Joannes néque manducans, né-  
que bibens, & dicunt, dæmonium habet, Judicium  
temerar.  
Pharisæ-  
orum.  
venit Filius manducans, & dicunt, quia  
vorax, & potator vini est.

Finxerunt Poëtæ de quadam Muliere Judicium  
temerar.  
frequens.  
Lamia, quod, quoties domo egredi vole-  
bat, oculos accipiebat, & capiti inferebat,  
domum verò reversa eos in arca include-  
bat, sic cæca erat domi, foris videns: sic  
multæ foràs egredientes secum ferunt  
centum oculos ad scrutanda aliorum vi-  
tia, & negotia, apud se cæcæ, nec sua vi-  
dent, in suo inquam oculo non vident tra-  
bem, in alieno festucam sagaciter perspi-  
cientes.

Totila Rex, cujusque Milites, cùm S. Punitur  
in Milite.  
Cassium Episcopum Narniensem ex ru-  
bea facie judicarent, & despicerent tan-  
quam ebriosum, unus eorum à dæmone  
abreptus miserè torquebatur; donec S.  
Episcopus illum signo Crucis liberans  
in veneratione post hac habitus est. *S. Greg.  
l. 3. dial. c. 3.*

S. Vitalium sæpiùs Lupanar ingressum In alio.  
quidam temerè judicans, eique propterea  
alapam infrigens à dæmone obsideretur,

sed ab ipso postea liberatur, his adjectis:  
viri Alexandrini nolite ante tempus judicare. *In vit. Pat. l. 1. c. 35.*

Cavit Ju-  
dicium  
Religio-  
sum.

Refert Baronius anno 599. Religio-  
sum quemdam cætera non adeò pro-  
batæ vitæ, neminem tamen judicasse un-  
quam, cumque instante morte Angeli ei  
chirographum peccatorum monstrassent,  
dixit hæc nihil ad se; sed illud, nolite ju-  
dicare, & non judicabimini; se hoc servas-  
se, & protinùs conscissam chartam fuisse,  
ipsùmque lætum obijisse.

S. Jose-  
phus.

S. Josephus videns B. Virginem gravi-  
dam, suspendit judicium, maluitque oc-  
cultè dimittere eam, quàm temerè judica-  
re. *Matth. I. v. 19.*

Abbas quidam visitans cellas Patrum  
si videret mundam, dicebat; & conscien-  
tia illius talis; si immundam, dicebat: bonus  
hic religiosus est, neglectis externis, totus  
internis vacat. *In vit Pat.*

Restitu-  
tio famæ  
difficilis.

Nobilis quidam in aula Hispaniarum  
mendaciter jactaverat, se se crebriùs pec-  
casse cum puella æquè nobili; accedens  
autem P. Alfonso à Castro Doctorem ce-  
leberrimum pro peccato remedium petijt,  
cui Doctor; Domine peccatum hoc nul-  
lum remedium accipit, æternum damna-  
beris; contristatus nobilis, accessit P. Frati-  
scum de Victoria, responsùmque P. Al-  
fonso



fonti retulit ; quod admiratus Franciscus respondit, nullum peccatum adeò grave, quod non debitâ pœnitentiâ deleatur, quare ad omnes illos redi, coram quibus puellæ detraxisti, dic te mentitum esse, ut falsarium, & si non videantur certò credere, juramento confirma, te non hoc urbanitate quadam sed ex rei veritate dicere, tum Nobilis: heu Pater, quis sum ego, ut hoc perficiam? quam per hoc derogabitur dignitati ac personæ meæ? absit, ut hoc faciam. Nunc ait P de Victoria cognosco, quòd optimè responderit P. Alfonsus, te manet æterna damnatio. *De Lanuza hom.* 23. §. 11.

Carolus V. Imperator militem veteranum chaisimum habebat, quem, cum interrogaret, an quidquam foret, quod ipsum à fidelitate & amore deturbare possit? respondit, unica contemprio.

Contumeliæ malum. in milite.

Narsès nominatissimus belli Dux ab Imperatrice per contemptum salutat, filorum ductor, ein Spinner (id enim nomen Persicum innuit) respondit se tale filum ducturum, quale ipsa deglomerare non possit; exinde missis fructibus Longobardos in Italiam accivit, à quibus Imperator Italiâ expulsus fuit.

Narsète.

Exemplum susurrætionis sunt satrapæ Regis Darij contrà Danielelem. *Dan. 4.*

**adulatio.** Amon contra Mardochæum. *Esther. 6.*  
Exemplum Adulantiū, fuit Absolon  
blandiens omnibus Urbem ingredienti-  
bus. 2. *Reg. 15.*

Item plebs adulans Herodi. *Act. 12.*

Item Prophetæ aduantes Achabo. 3.  
*Reg. 22.*

**Menda-  
cium.  
Vxoris.**

Uxor Theodosij Junioris à Marito ra-  
ræ magnitudinis pomum acceperat, quod  
illa dein Paulino eximiae probitatis auli-  
co, amicitiae ergo transmisit. Imperator  
casu apud Paulinum viso pomo, rogat po-  
stea uxorem, eccubina pomum illud re-  
tineat? respondit se comedisse, motus hoc  
mendacio Imperator, scelusque suspicans,  
Paulinum e medio sustulit.

**Id fugit  
S. Anthi-  
mus.**

S. Anthimus Episcopus Nicomediensis  
inquirentes se satellites humanissime ex-  
ceperat, tandem, en me, inquit, quem quæ-  
ritis, quo facto obstupefacti illi, non te  
vinciemus, aiunt, sed dicemus te à nobis  
inveniri non potuisse: absit, respondit ille,  
Christianis fas non est, vel vitam menda-  
cio redimere, itaque se spontè in manus  
militum tradens post multos cruciatus  
gloriam Martyrij & coronam adeptus est.  
*Sur. 27. April.*

**B. Nico-  
laus.**

B. Nicolaus Helvetius nunquam men-  
titus est. *Brev. in offic. illius. 21. Martij.*